



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D.  
Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac  
Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas  
Missalis Et Breviarii Romani**

Adiectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad  
præsens emanatis

Complectens III. & IV. Partem Commentariorum Gavanti in Rubricas  
Missalis

**Merati, Gaetano Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1740**

**VD18 10783695-002**

De Defectibus in Ministerio ipso occurrentibus. X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39964**

Si quis deglutiat sanguinem, aut aliquem alium humorē à capite in os descendētem, non frangit jejunium naturā, quia quidquid ab intinēco provenit, nec ore ab extrinseco sumitur, vere non comeditur, & ideo non solvit jejunium naturale, neque proinde impedit per se lumptionem Eucharistiae. Wiggers de Sacram. Euchar. quæst. 8a. art. 8 & 37. Henriquez n. 8 cap. 50. & Gerlacus Vinitor *suprā iii. 9. in adnat. §. 6.*

Censetur pariter jejunus etiam ille, qui post medianam noctem deglutiuit aliquid non comedibile, scilicet officulum, fructulum metalli, cretam, papyrum, ungues, vel aliquid simile. Ita tenet Quarti *suprā diffic. 3.* cūms pro hac sententia nonnullos Auctores, quāvis contrariaū teneant Henriquez lib. 8. 4. Bonacina, Reginaldus, & alii allegati ab eodem Quarti *suprā*, quos tamen non sequitur, sed refellit.

Idem Quarti *diffic. 4.* questionem proponit, an sumptio tabaci, Communionem impedit: & sustinet, quod si tabacum sumatur in pulvere per narēs, ut communiter fieri solet, non solvitur jejunium naturae, et ulla aliquid descendat in stomachum, quia illa lumptione non est comedio, cūm non fiat per os; sicut de aqua attracta per narēs, dici debet, licet aliqua pars ejus trajiciatur in stomachum, ut facientur communiter DD. sic etiam, si tabacum sumatur in fumo, non frangitur jejunium naturae, quia fumus non est cibus, nec potus, & trajectio ejus in stomachum fit per modum respirationis, non per modum comeditionis. Major difficultas est de tabaco sumpto in folio, & retento in ore; sed etiam hoc ita sumptum, quia non retinetur in ore ad comedendum, nec ipsum folium deglutitur, jejunium naturale non violat, quāvis causare possit trajectōrem aliquis humoris ex capite desfluentis in sto-

machum, qui non violat jejunium, sicut non violat saliva. Et quāvis aliquis tabaci sucus deglutiretur, quia trajicitur cum saliva, & per modum salivæ, non solvit jejunium naturale, juxta communē Doctorum sententiam, ut docet Quarti *suprā*. Verum si folium in os admissum trajiciatur integrum in stomachum, vel aliqua ejus particula ex industria, certum est, violare jejunium, & impedire Communionem; quod idem dicendum est, si pulvis tabaci ore sumeretur, & per actionem vitalem trajiceretur in stomachum. Ita docent Alphonsus de Leone, Marchantius, Escobar, Aversa, Pascualigus, & alii, quos affert, & sequitur noster Diana part. 5. tract. 13. resol. 1. & part. 8. tract. 7. resol. 3. ubi latè discutit hanc questionem.

IV. Gavant. pag. 160. col. 1. §. *Duo tamē, &c.*) Præter calus adductos à Gavante hi., in quibus non jejunus Sacerdos, potest Eucharistiam sumere, adeat etiam aliis casus, in quo à quocunque non jejunio Eucharistia sumi potest, nempe necessitas ipsius sumentis; ut si quis periculose agrotel, & sit mortis periculam, si sequens dies expectetur ad ei præbendam Communionem; ex quo tamen inferri non potest, quod licet non jejunio Sacerdoti conscere Eucharistiam, ad eam infirmo ministrandam; quāvis enim receptio viatici supponatur de jure divino, nihilominus agrotus non tenetur ad illud recipiendum, nisi cūm adeat copia Eucharistiae, non autem quando deficit ex causa alterius.

V. Nonnulla alia, quæ spectant ad Ritus servandos pro tribus Missis, quæ juxta Sacros Canones celebrari possunt in Nativitate Domini, max trademus in nostris Observacionibus, & Additionibus ad *tit. 3. part. 4.*

#### Tit. X. De Defectibus in Ministerio ipso occurrentibus.

*Caret novis Observat. & Additionibus.*

Kk k 3

Nova